

am fiducia & punctum mediæ noctis, si sit tempus antemerid-
dianum; aut mediæ diei, si sit post meridiem, intercepti, sin-
gulisq; 15. gradibus una hora assignetur ut antea. Exempli gra-
tia, decima tertia Martij, quouis tempore post meridiem, in-
uenta altitudo solis sit 28. grad. quam in Astrolabio bipartio
pono ad 14. parallelum, in quinq; partio, ad sextum fere. Pars
solis seu gradus eo die in Ecclipt. est decimus tertius gradus
pisc. Circumducto ergo reti, pono directè gradum hunc supra
parallelum dictum & ostensorem super gradum dictum, qui in
limbo ostendit hor 2 & insuper 9. gradus, quibus respondent
36. min. Quod si non sint horæ notatæ in limbo, numero gra-
dus à linea mediæ diei, usque ad ostensorem, quos inuenio 39,
qui mihi constituunt 2. horas & 36. min. ut antea.

Quod si eadem altitudo solis inueniatur ante meridiem, &
ad suum parallelum cum gradu 13. pisc. locetur, ostendet linea
fiducia hor. 9. & præterea 10. gradus æquinoctialis, quibus re-
spondent 40. min. Quod si horæ non sint ascriptæ, numero à
puncto mediæ noctis usque ad regulam, gradus æquinoctialis,
quos inuenio esse 145, qui si diuidantur per 15. dabunt hor. 9.
residuis 10. grad. quibus respondent 40 min. ut antea.

HORAM ÆQVALEM NOCTV PER ALTITV- dinem alicuius stellæ notæ inuestigare. Propos XI.

Cognita per 2. Propos. altitudine stellæ in aranea notatæ, cir-
cumduc araneam donec cacumen stellæ attingat parallelū al-
titudinis ex parte orientali seu sinistra, si sit ante meridiem; ex
parte verò dextra seu occidentari, si sit post meridiem; quo factio
superpone lineam fiducia, gradui Zodiaci, in quo tunc sol ver-
satur, & ostendet in limbo, horas vel à media nocte, vel à mediæ
die. Quod si horæ in limbo nō sint adnotatæ, per gradus limbi
eæ sunt computandæ, ut antea monuimus. Exempli gratia: de-
cima octaua Aprilis, post occasum solis quouis tempore volo
scire quæ sit hora, accipio arcturum, cuius altitudinē supra ho-
rizontem